

quod ex parte rei volitæ, media sint propter finem eique subordinentur, et eadem ratione vult finem intermedium subordinari fini ultimo. Nec tamen ex hoc sequitur, quod intermedius movebit divinam voluntatem, ut ratio volendi movens, licet respectu creatæ voluntatis, finis intermedius moveat etiam ratione sui, modo tamen inferiori, et subordinato. Et disparitas est, quia cum finis intermedius sit bonitas inferior et creata, comparatur ad divinam voluntatem ut effectus, non ut ratio, causaque volendi. Respectu autem voluntatis creatæ, non comparatur ut effectus, sed ut objectum, et motivum alliciens. Ideoque rationem motivam finis, erga ipsam habere potest, non vero respectu voluntatis divinæ. Habebit tamen respectu voluntatis divinæ rationem finis participati ab ea, et subordinati ut moveat creatam voluntatem, non solum ut medium, sed ut finis subordinatus quam tamen motionem respectu Dei exercere non valebit, sed solum ab ipso accipere habet, quod sit finis.

XX. Ad confirmationem respondetur quod utile dicitur dupliciter. Uno modo bonitate pure relata, et ex participatione finis tantum: alio modo bonitate, non pure relata, sed cum fundamento bonitatis alicujus absolutæ, subordinatæ tamen fini ulteriori, et deservienti etiam ipsi assecutioni finis, et rationem medii habenti. D. Thomas in primo ethicorum, sectione ix supra citata distinxit penes bonum tantum participatum a fine sicut potio amara ad sanitatem; et penes bonum quod habet in se bonitatem formaliter, et tamen appetitur propter aliud, sicut medicina saporosa. Talia enim bona sunt quidem utilia, et deserviunt tamquam media: sed aliter quod aliquam bonitatem in se supponunt, de se quidem appetibilem, sed tamen

subordinatam ipsi fini, et sic assumptam convenienter pro medio assecutivo alicujus finis. Quod ergo est utile primo modo, tamquam pure relatum ad finem, et ex ordine ad illum præcise appetibile, non potest appeti ullo modo gratia sui, sed præcise ratione alterius; et de tali utili locutus est philosophus in octavo ethicorum, cap. ii, quando dixit, quod utile non potest appeti gratia sui. Utile autem secundo modo, etiam ratione sui appeti potest, et intendi, quatenus finis est, et bonitatem habet in se appetibilem, licet subordinatam ulteriori fini; et hoc ipsum in quo est appetibile subordinate, potest conducere ut convenientius utile sit, et medium assecutivum, non solum bonum assequibile. Et cum instatur, quod hoc habet res illa materialiter et pro diversa serie, et ordine, et sic in uno ordine erit finis, sed non intermedium; in alio autem erit medium, sed nihil habebit de fine, respondetur quod etiam intra eandem seriem, et lineam appetibilium utrumque habet, licet sub diverso respectu, et formalitate; appetitur enim ut medium, et ut utile, quatenus est assecutivum finis; et appetitur ut finis, quatenus est appetibile in se, subordinatim tamen ad aliud majus bonum, et hoc totum habet in ea linea et serie, in qua subordinatum est, et una ex his rationibus, seu formalitatibus conduit, et adjuvat ad alteram, id enim quod in se alias est appetibile, facilius et congruentius acceptatur ut medium, sicut medicina saporosa congruentius appetitur, quam amara, si alias conduxit ad finem. Et hoc ipsum, quod est aptari, et conducere ad finem ut assecutivum ejus, etiam juvat, ut res magis appetatur. Quare hoc non convenit rei intra diversam seriem, et lineam, quia non in diversa subordinatione ad diversum

bonum, et finem; sed in eadem, sub diverso tamen respectu, scilicet, sub respectu medii assecutivi, vel boni in se assequibilis, sed inferioris ad aliud bonum.

## ARTICULUS V.

*Utrum possit aliquis simul duos ultimos fines habere; vel in infinitum procedere in finibus?*

I. Supponendum est, non posse dari processum in infinitum in finibus appetendis, sed semper debere sisti in aliquo ultimo. Id ostendit D. Thomas in hac quæstione, art. iv, et iii contra gentiles, cap. ii, et in ii met. lect. iv, ubi explicat rationes, quibus id Aristoteles ibidem probat textu octavo. Et quidem cum finis non moveat, neque alliciat, nisi ad agendum, idem erit dari processum infinitum in finibus, seu in causis finalibus, atque dari processum infinitum in agentibus. Qui processus infinitus improbat in octavo physicorum, textu xxxiv, et a D. Thoma i part. q. ii, art. iii, et i contra gentiles, c. xiii, et nos id explicavimus late in octavo physicorum, q. xxiv, et i tomo, i p. disp. iii. Eodem autem modo improbat processum in infinitum in causis finalibus: quia si infiniti fines essent in movendo, ita quod non assignaretur ultimus, in quo sisteretur, non posset aliquis motus, seu actio de novo incipere, neque in ordine intentionis, neque in ordine executionis; cujus tamen contrarium experientia docet, cum multa quotidie videamus de novo fieri. Quod vero non possit ordine intentionis aliquid incipere, si non datur ultimus finis, constat: quia tunc non datur una prima, et determinata intentio, sed qualibet data, alia assignari debet, si quidem in-

tentio est de fine, et si dantur infiniti fines, dantur infinitæ intentiones, et sic non est assignare unam primam, unde incipiat motus. Motus autem, qui hic et nunc incipit, dependet ab omnibus illis finibus, quia si non ab omnibus dependet in infinitum, sed tantum a determinatis et finitis, ibi debet dari ultimum, quia ubi est numerus finitus, est ultima unitas. Si vero dependet ab infinitis, nunquam assignatur prima dependentia, et influxus; ergo neque prima incæptio motus: neque prima intentio: sine intentione autem determinata, non fit determinata executio, et inchoatio motus. Videmus autem fieri multas actiones, et motus de novo; ergo et dari primas, ac determinatas intentiones, atque adeo sisti debere in fine aliquo. Ex parte etiam executionis, non inciperet aliquid de novo, si non esset ultimus finis; quia remoto ultimo fine, removetur omnis intentio; ergo et omnis electio eorum, quæ sunt ad finem, quia hæc ab intentione essentialiter oritur, sicut conclusio a principiis. Si autem movetur electio, non datur aliquod medium, per quod assequatur finis, assecutio enim fit per media. Remoto autem omni medio assecutivo, removetur omne principium per quod fit operatio, et motus, et sic nullus inciperet aliquid operari, nec terminaretur consilium, et inquisitio, sicut nec determinaretur, et figeretur intentio, et sicut in speculativis successio principio, nulla infertur conclusio.

II. Hæc est vis rationis D. Thomæ in præsentia, ad quam cæteræ reducuntur, quæ in aliis locis citatis afferuntur. Dicit tamen D. Thomas hanc rationem probare, et procedere in finibus per se subordinatis, et conjunctis. Procedit etiam ratio de ultimo fine respectu determinatæ actionis, et in quacumque

serie et linea determinata, causarum et agentium. An vero respectu collectionis omnium actionum, et causarum detur finis ultimus, qui sit unus respectu omnium, hæc ratio non probat, nec intendit probare, sed id aliunde relinquitur probandum in septimo et octavo articulo: sicut aliud est probare ex causis moventibus, non procedentibus in infinitum, dari primam causam, seu Deum, quod fecit D. Thomas 1 part. quæstion. II, aliud illum Deum esse tantum unum, quod reservavit in quæstione undecima. Addit sanctus doctor quod in finibus non per se subordinatis, sed per accidens conjunctis, nihil prohibet infinitatem dari, quia causæ per accidens indeterminate sunt. Unde restat explicare, quid intelligat D. Thomas per fines subordinatos per se, quid per fines per accidens conjunctos. Et rursus, si per accidens potest dari processus in infinitum; ergo per accidens poterit dari infinitum in actu, si de facto ponatur tale per accidens; aut poterit saltem per accidens, aliquid incipere de facto hic et nunc, non obstante processu in infinitum in causis per accidens. Quod si dicatur non esse intentum D. Thomæ dicere, quod actu, et categorematice, seu de facto, detur processus in infinitum etiam in causis per accidens, sed syncategorematicæ, et in potentia, hoc nihil est, quia etiam in causis per se subordinatis, nihil obstat hæc infinitas syncategorematica, et in potentia, dummodo in re, et de facto semper detur finitas; sic enim quilibet effectus pendeat a finitis causis, et ultimo fine categorematice, licet ab infinitis syncategorematicæ. Et sic non assignatur differentia inter primum dictum, de causis per se subordinatis, et de conjunctis per accidens.

III. Respondetur quod nomine finium per se subordinatorum intelli-

git D. Thomas fines, seu causas, quarum una in causando, et finalizando pendet ab alia. Fines autem per accidens, dicuntur quorum unus non pendet ab altero in finalizando, et causando, sed sine ipso causare potest; licet operans ex sua voluntate, sed non ex necessaria dependentia, possit propter illum moveri, et ex ejus intentione agere, subordinando illi alium finem. In his ergo finibus per se non subordinatis, sed solum per accidens, id est, per aliud, seu per voluntatem operantis, non ex natura rei, dicitur posse infinitatem accidere syncategorematicam, et in potentia, non in actu, et categorematice. Non enim dicitur esse infinitatem in his finibus, per accidens subordinatis, taliter quod numerentur, et dentur infiniti fines, quibus per accidens possit voluntas subordinari, licet illi inter se, non necessario dependeant, nec subordinentur, ex libera tamen voluntate possint in infinitum subordinari. Non est hæc recta intelligentia; nec enim voluntas potest infinitos fines inter se connectere, cum infinitum, neque ex naturali potestate, et colligatione, neque ex voluntaria contingentia, possit pertransiri, aut poni in rerum natura, aut causare. Sed intelligentia est, quod ubi fines non sunt per se subordinati, nec unus in causando dependet ab altero, non datur ultimus ex natura rei, sed a quolibet potest voluntas incipere, et quemlibet alteri subordinare, sine ullo termino syncategorematicæ, et quantum est ex natura finium, licet in exercitio, et de facto si operatur, ab aliquo ultimo fine incipere debet, quem sibi determinat voluntas. Et hoc patet in exemplo adducto a D. Thoma in hoc articulo quarto, solutione ad tertium in actibus reflexis voluntatis, quorum multiplicatio infinita, per accidens se habet ad ordinem

finium, et tamen de facto, et categorematice non dantur infinitæ reflexiones, nec enim possunt pertransiri, sed solum sunt infinitæ syncategorematicæ, quia ex natura rei, non est ultimus terminus in illis, sed quælibet data potest dari alia. Negamus ergo dari de facto processum in infinitum, etiam per accidens.

IV. Ad instantiam vero quod hac ratione etiam in causis, seu finibus, per se subordinatis, poterit dari infinitas syncategorematica, nec obstabit processui causarum, quia compatitur cum hoc finitas simpliciter, et categorematice, respondetur non posse talem infinitatem dari, quia hoc ipso, quod per se subordinati sunt, ex natura sua habent influere et causare, seu finalizare cum tali subordinatione; ergo ex natura rei habent ultimum determinate, nec in infinitum indeterminate, et syncategorematicæ procedunt, quia sic non haberent per se, et ex natura rei movere; motio enim finis fit incipiendo ab ultimo fine, et quamdiu non determinatur hoc ultimum, non determinatur operatio: ergo si per se subordinantur fines, et per se influunt, et movent, per se datur in illis ratio ultimi, et per se determinatur in illis ratio ultimi, a quo solum incipit determinata motio, et influenza, seu operatio. Ubi autem ex natura rei est infinitas syncategorematica, non est determinata ultimum, quia infinitas syncategorematica est indeterminatio in rebus, quia quolibet dato, aliud est accipere. Unde et D. Thomas in articulo isto quarto ideo dicit in subordinatis per accidens, posse dari infinitatem, quia causæ per accidens indeterminate sunt. Si ergo eadem infinitas syncategorematica daretur in subordinatis per se, etiam indeterminatio esset, et sic non daretur ultimum determinate ex natura rei,

et per se loquendo. Et hinc nascitur differentia inter primum dictum D. Thomæ, et secundum; quod in primo dicto ostendit directe D. Thomas in subordinatis per se, debere dari ultimum finem ex natura rei, quia per se est subordinatio, et causatio; ex quo consequitur, quod neque categorematice infinitas, in eorum processu debet dari, neque syncategorematica. In his autem, quæ per accidens solum subordinantur, non datur ultimus finis ex natura rei, unde potest voluntas a quolibet indifferenter in infinitum syncategorematicæ incipere, et procedere; licet hic et nunc de facto, quando incipit operari, et moveri, semper debeat incipere ab aliquo fine, quem sibi tamquam ultimum ponit, et determinat voluntas, licet ex natura rei ultimus determinate non sit.

V. Ex hoc autem nascitur secunda, et major difficultas, an possit voluntas, si non in infinitos fines moveri, nec eis subordinari, sed semper debeat ab aliquo ultimo incipere; an saltem in plures ultimos ferri possit. eisque subordinari, manentibus ultimis, id est, non inter se subordinatis, nec uni tertio?

QUO SENSU IMPLICET, DARI SIMUL DUOS FINES ULTIMOS IN OPERANTE?

VI. Negavit D. Thomas in articulo quinto hujus quæstionis posse voluntatem unius hominis, simul se habere ad diversa, sicut ad ultimos fines. Id probavit tribus rationibus, quarum difficilis valde est efficacia, et explicatio.

VII. Prius tamen quam probationes istas evolvamus, oportet sensum difficultatis explanare; et quid intelligamus per fines ultimos, et quare ratione repugnantiam, in eorum pluralitate, inveniamus. Igitur D. Thomas loquitur de fine ultimo

quem sibi operans constituit, non de illo, qui ex natura rei omnibus rebus constitutus est; hic enim est summum bonum in re, qui est Deus, qui unicus tantum esse potest. D. Thomas autem in hoc articulo quinto in calce corporis, dicit, quod sicut omnium hominum naturaliter est unus finis, id est, ex natura rei constitutus, ita oportet quod hujus hominis voluntas, in uno ultimo fine statuatur. Item loquitur de pluribus finibus ultimis simul habitis, non successive ab eodem homine, ut patet in illis verbis: « Voluntas unius hominis, non potest simul plures fines ultimos habere. » Item tertio loquitur de fine ultimo totali, formaliter, seu ex parte rationis formalis, non materialiter solum, seu pro rebus, in quibus hæc ratio invenitur; has enim posse plures inadæquate concurrere, ut unum componant felicitatis cumulum, perspicuum est in voluntatibus quæ extra Deum felicitatem quærunt, nec in una re totam beatitudinem possunt invenire, sed ex pluribus congregant. Itaque ex parte materialis, seu materialiter requisitorum ad finem, plura inveniri possunt, quæ inadæquate ad rationem illam finis ultimi, concurrant. Et ista omnia potest simul intendere, vel appetere voluntas, quia omnia illa unus finis sunt, ut expresse idem sanctus doctor affirmat in hac quæstione articulo quinto ad primum. Difficultas ergo est de duplici fine ultimo totali adæquato, et perfecto, et rationem formalem ultimi finis adæquate obtinente. Quæ si autem ista ratio formalis ultimi finis, explicabimus circa rationes D. Thomæ, est enim bonitas consummativa, et perfectiva appetitus totaliter, et terminative. Denique loquitur D. Thomas de duplici fine ultimo, efficaciter intento et volito, ut patet in conclusione prima rationis, quam sic concludit

D. Thomas: « Unde non potest esse, quod in duobus sic tendat appetitus, ac si utrumque sit bonum perfectum ipsius, » in fine secundæ rationis: « Unde oportet, inquit, id, in quod tendit voluntas sub ratione ultimi finis, esse unum. » Tendere autem in finem, ut perfectivum sui, est tendere in illum per intentionem ad assequendum ordinatam, quia per assecutionem perficitur ille qui tendit ad finem, et tunc ultimo perficit, et complet, quando sibi subordinat, et subjicit omnia, tam operantem, quam operationem; nec in una solum linea, et serie, sed in omnibus; quia loquimur de fine ultimo simpliciter, non in uno tantum ordine, aut serie, quod sine efficaci intentione stare non potest.

VIII. His præsuppositis non erit difficile explicare rationes, quibus D. Thomas probat suam sententiam, quæ communis est inter theologos. Prima ratio deducitur ex ipsa propria ratione, et quidditate finis ultimi, et proponitur sic: Illud est ultimus finis, qui appetitur ut bonum perfectum, et completivum ipsius appetentis; ergo oportet, quod ultimus finis, ita impleat totum hominis appetitum, quod extra ipsum, nihil appetendum relinquatur: sed hoc esse non potest, si aliquid præter ipsum ultimum finem, seu extraneum ab ipso, requiratur ad ejus perfectionem; ergo non potest tendere appetitus in duo taliter, quod utrumque sit bonum perfectivum ipsius. Primum antecedens probatur, tum ex D. Augustino XIX de civitate, c. I, ubi inquit: « Finem hominum, dicimus, non quod consumitur, ut non sit, sed quod perficitur, ut plene sit. » Tum ex ratione, quia unum quodque appetit suam perfectionem, ergo quod appetit ut ultimum, appetit ut consummativum, et perfectivum complete sui, alias si ibi non completur perfectio, non est ultima

ratio finis. Reliquas consequentias non probat D. Thomas, sed quasi legitime illatas ex antecedente relinquit.

IX. Cæterum et in antecedente, et in consequentiis, patitur hæc ratio non modicas instantias. In antecedente quidem: quia finem ultimum esse completivum totius boni appetitus, seu bonum perfectum, stat dupliciter, aut in re ipsa, aut in existimatione appetentis. Et quidem in ipsa re, verum est, quod id, quod in re est finis ultimus appetentis, in re consummet, et perficiat totaliter ipsum appetentem; alias ultimus non esset, si ultra illum haberet perfici appetitus: et si in hoc sensu loquitur D. Thomas de fine ultimo, scilicet, quod non potest appetitus tendere in duos fines ultimos, qui in re ultimi sint, et prout in re exercent hoc munus ultimi finis, est idem ac dicere, quod non possunt in re dari duo dii, seu duo summa bona, quia posito uno summo bono, illud replet totaliter appetitum, nec aliquid extra se debet habere, quo perficiatur. Sed tamen in hoc articulo non tractat D. Thomas de fine ultimo, prout datur in re, nec intendit probare, quod in re non dentur duo summa bona: sed quod voluntas in illa non potest tendere, etiamsi darentur: sicut quando quærimus, an possit aliquis effectus pendere, et causari a duabus causis totalibus effectivis, non esset bona probatio ostendere, quod in re non dentur tales causæ efficientes totales, sed difficultas est, an ab illis, etiamsi essent possibles, possit effectus simul dependere. Eodem ergo modo difficultas præsens non est, an dentur in re duo ultimi fines, qui sint duo summa bona totaliter complementia appetitum; sed solum an voluntas possit in duos ultimos fines tendere, etiam in existimatione sua apprehensos, sive in re dentur, sive non?

X. Si vero sensus D. Thomæ est de fine ultimo apprehenso, et de hoc procedit ejus antecedens, quando dicit, quod illud appetit quis ut ultimum finem, quod appetit ut bonum perfectum, et completivum sui ipsius, tunc falsum est antecedens, quia potest quis ponere ultimum finem in aliquo, quod clare videt non esse perfecte completivum, et perfectivum sui; sicut luxuriosus ponit finem in venere, per cujus tamen delectationem videt se non perfici, nec compleri in aliis bonis, et necessitatibus, puta in fame, in siti, in nuditate, in honore, quin potius depauperatur, et dehonatur, si exerceat illud nefas; ergo potest appetere ut ultimum finem id, quod evidenter cognoscit non esse perfecte completivum, et satiativum appetentis. Et illi qui multitudinem deorum colebant, unumquemque eorum apprehendebant ut deum, et finem ultimum, nec tamen quemlibet ut satiativum, et perfectivum omnis boni apprehendebant; sed unum deum pro una necessitate succurrenda, vel bono largiendo, alium pro alio colebant; non ergo oportet, quod id, quod apprehenditur ut ultimus finis, et sic appetitur, appetatur ut satiativum, et perfectivum complete ipsius appetentis, etiam in existimatione, et apprehensione.

XI. Quod si dicatur, ultimum finem hominis peccantis, non posse constitui in illa re externa, quam quis appetit, puta in venere, in cibo, in honore, etc. quia nullum horum est plene satiativum, et perfectivum appetentis, sed finem ultimum esse ipsummet hominem: « Siquidem amor sui usque ad contemptum Dei ædificat Babylonem; et amor Dei usque ad contemptum sui ædificat civitatem Dei, » ut in libris de civitate Augustinus inquit: imo hoc est argumentum illorum librorum,

contra est, quia homo constituit se ipsum, finem ultimum tamquam finem cui, quia sibi vult omne bonum, non tamen tamquam finem cuius gratia, qui solum est satiatus appetentis; homo autem non est satiatus sui, nec id in quo consummate perficitur, et completur totum bonum appetentis; sed est subjectum, quod est in potentia ut perficiatur, et compleatur, et est ipse appetens, qui perfici debet, non ipsum appetibile a quo perfici debet: ergo dicere quod homo, non potest constituere finem ultimum in rebus istis ad extra, quas amat cum peccat, sed in se ipso, quia se ipsum habet pro ultimo fine, ut sic finis ultimus sit semper unus, est æquivocare de fine ultimo cui, seu de re cui appetimus illa bona, et de fine ultimo cuius gratia, qui est finis satiatus, et completivus appetentis: nec enim homo qui est appetens, est satiatus sui, sed satiabilis ab aliis bonis; et sic non est ad rem præsentem dicere, quod est sibi ipsi finis ultimus. Hæc de antecedente rationis prædicatione D. Thomæ.

XII. Jam vero circa consequentias inde illatas, non minora pulsant argumenta. Nam illa prima consequentia D. Thomæ: « Ergo oportet quod ultimus finis, ita impleat totum hominis appetitum, quod extra ipsum nihil appetendum relinquatur, » non concludit efficaciter; potest enim distingui sic: ita implet totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur, tamquam de necessitate requisitum, transeat; tamquam permissive se habens, ad arbitrium appetentis, vel ad melius esse, nego. Non enim implicatio est, quod appetitum inveniat duos fines, quorum quilibet sibi sufficiens est, et impleat appetitum; et tamen possit alterum etiam appetere, non ex necessitate, sed ex sua mera voluntate;

seu appetere unum pro una serie actionum, et alium pro alia, non subordinando illos inter se, nec in uno tertio; sicut potest eligere vitam voluptuosam, quantum necessarium est, ne carnis stimulis impetatur, et simul contemplativam, ut cognitionem perfectam adquirat. Et si aliquis in statu puræ naturæ peccaret, et iterum haberet dilectionem Dei auctoris naturæ super omnia, talis haberet Deum pro ultimo fine, quia propter ipsum operaretur; et maneret conversus ad creaturam, quia maneret in peccato quod fecit, quia hoc sine gratia non remittitur.

XIII. Et urgeri potest amplius in eo, qui duos fines ultimos disjunctive appeteret, id est, non volendo utrumque conjungere, sed alterum tantum, et non magis unum quam alterum; et licet utriusque esset capax appetitus, tamen posset in quolibet esse æqualitas bonitatis, ita ut solo numero differrent; tunc ita unus satiaret, et perficeret appetitum, quo extra ipsum relinqueret aliquid appetendum, saltem tamquam omnino simile, et æquale, et ejusdem rationis; ergo posset duos ultimos fines habere, saltem numero distinctos, et appetere utrumque, licet alter esset superfluum: quamvis enim natura superfluum abhorreat, et unitati studeat, non tamen voluntas, quæ sæpe exorbitat, et superfluitatem amplectitur.

XIV. Denique ultima D. Thomæ consequentia eodem vitio laborat, infert enim, quod non potest tendere appetitus in duo, taliter quod utrumque sit bonum perfectivum illius, ex eo quod non potest ad perfectionem ultimi finis requiri aliquid extra ipsum. Sed hæc consequentia omnino infirma est, quia esto finis ultimus perfectus, et plenus, non requirat aliquid extra se ad suam perfectionem, cum in se ultimum sit, unde tamen probatur, quod non possit

habere extra se aliquid perfectum, et si non requisitum ad se, simile tamen sibi, et ejusdem rationis cum illo. Et hoc poterit voluntas appetere, et si non ut necessarium ad alterum, tamen sibi placens, et sibi appetibile, etiam si demus esse superfluum. Ut omittam non probari posse, plures res materialiter diversas requiri ad felicitatem integrandam, et componendam, et sic plures fines ultimos materiales poterit habere voluntas, etsi unam tantum rationem formalem felicitatis, seu boni, respiciat. Quod si non plus probat ratio D. Thomæ quam quod formalis ratio felicitatis una sit, ad quid rationes istæ adeo obscuræ multiplicantur, cum facilior via extet: nempe potentiam voluntatis esse unam, et sic formalem rationem boni perfecti, seu felicitatis ultimæ, unam esse debere, quia in sua formali ratione sistit tota unitas potentia?

XV. Respondetur ad primam instantiam, rationem D. Thomæ procedere de fine ultimo, non solum prout in re exercet rationem, et munus ultimi finis, sed etiam prout est in æstimatione, et apprehensione; inde enim movet voluntatem, et voluntas tendit in ipsum sic apprehensum, non ut in esse apprehensi ipsum assequatur, sed ut ex apprehensione moveat. Negamus autem, quod voluntas possit tendere, et appetere aliquid sub formalitate, et munere finis ultimi, nisi in ipsa apprehensione, et æstimatione apprehendat ipsum ut satiativum, et perfectivum complete sui appetitus; licet ex corrupta æstimatione aliquando judicet, et apprehendat ut satiativum sui, quod in re, et vere satiativum non est, et ita si adverteret, posset a tali æstimatione falsa averti, imo quotidie experimur mutare hominem finem ultimum, quia corrupta, et decepta æstimatione attri-

buit hoc munus ultimi finis seu beatitudinis, et satiativi seu perfectivi sui appetitus, ei quod minime tale est, sed tamen sic existimat practice, quando in tali re infima ponit suum finem. Nonne evidenter dicit Apostolus de quibusdam ad Philippenses III: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt?* Ergo delectabilia ventris, rationem ultimi finis, apud istos habent, qui pro Deo ventrem habent. Et tamen non ignorant isti, non esse omnia bona in delectabili ventris, sed aliis multis indigere, tamen ex corrupta æstimatione, omnia illa ordinant illi vitio, seu delectabili, quod maxime desiderant, et sic habent illud pro ultimo, et consummativo bono, non pro omni bono, et præter illud, plura alia desiderant, sed non ultra illud, sed ibi sistunt, et reliqua illi subordinant. D. Thomas autem non ita requirit, quod ultimus finis sit completivus, et satiativus appetentis, quod nihil præter ipsum appetatur, sed nihil extra appetendum relinquatur, scilicet, post ipsum, seu ultra ipsum, non sub ipso, et ei subordinatum.

XVI. Licet ergo videat luxuriosus, delectationem veneream non sufficere sibi ad omnia, quæ illi opus sunt, omnia tamen luxuriæ subordinat, quia ibi sistit ejus appetitus, quando ex corrupta æstimatione operatur circa ipsum, tamquam circa ultimum finem. Quod si a luxuria cesset et aliud vitium amet, illi rursus subjicietur ut ultimo fini, et aliam corruptam æstimationem de tali fine habebit. Si vero simul amet luxuriam, et aliud vitium, verbi gratia, ambitionem, aut vanam gloriam, nec unum alteri subordinet, nihilominus utrumque subordinabit alicui tertio; quia semper amor, habet aliquid quod præ cæteris amet, verbi gratia, commoditatem propriam, aut abundantiam, aut ostentatio-